

PROOEMIUM.



*R*egnum Glorie totius Christianismi centrum esse ac scopum, is demum negabit, cui purioris ac salu-  
ficæ doctrine nulla unquam cura, nulla notitia fuit. Universam enim fidem Christianam illuc tendere, ut regni glorie cives ac heredes efficiamur, Solis radiis scriptum esse arbitror. Docet hoc totius Theo-  
logiæ nostræ nexum, omniumque Articulorum fidei series id confirmat; Sive enim benevolentiam DEI universalem spectes, sive fraternam JESU CHRISTI redemptionem mediteris, sive gratiam SPIRITUS SANCTI applicatricem, & omnes ejus actus salutare, consideres, sive denique omnia salutis media, tum ex parte DEI exhibentis, tum hominis apprehendentis perpendas, fruitio regni gloriæ, seu æternæ salutis nostræ status, respectu nostri, finis ultimus ac scopus est, ad quem omnes tendimus. Quid? ante lapsum etiam, cultus Divini Paradisiacæ (qui, si ab iterata ligatione religio nomen habet, Religio Paradisiaca vocari haud potest, cum nec Etymologia Religionis ipsi conveniat, nec Definitio; quia tum homo à DEO avulsus non erat, adeoque nec reduniri debebat,) Protoplastorum finis fuit, ut beatitudinem in regno gloriæ assequerentur. Hoc enim sine conveniunt cultus Paradisiacæ ac Religio Christiana, quamvis aliàs multis modis differant, uti videre est apud Qvenstedium P. I. Syst. c. 2. Sect. 2. quæst. 1. p. 23.

Hujus itaque regni, quod quasi prora ac puppis fidei nostræ est, natu-  
ram paulisper inquirere, & pro ingenii modulo, quantum instituti ratio permittit, perlustrare, dum exercitium aliquod Academicum meditor, opere pretium esse duco. Nolo autem ὁ ἄνωγος ὁ γέγραπται Προοίον, sed Divinorum elogiorum ductum secutus, hac vice locum Paulinum, aliàs difficillimum ex 1. Corinth. XV. 28. qui regni gloriæ statum aliquatenus cognoscendum nobis exhibet, meditationi sacræ subjiciam, eumque, quia Dissertationis nostræ argumentum esse debet, secundum fontes, ut insti-  
tutum nostrum eo melius cognosci possit, unà cum versionibus aliquo,  
premittam.

A

Textus